

Q. F. F. Q. S.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# MORBIS JUVENVM

QVAM  
ASSISTENTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSAE  
FACVLTATIS MEDICAE  
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
DN. JOANNE JUNCKERO  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO ORPHANOTROPHEI HALENSIS  
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO FELICISSIMO  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

## PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

AD D. NOVEMBR. A. N. C. MDCCXLVI.

PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

AVCTOR

GODOFREDVS BERNHARDVS THIESEN  
RASTENBVRCO - BORVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ART. MEDIC.  
DE  
MORBIS JUVENVM

AVTHORIS  
CONSENSVS ACADEMIAE  
FACULTATIS MEDICAE  
PR. S. S. P. B.

AVTHORIS  
DR. JOHANNIS JUNGERO  
MEDICAE DOCTORE RIVIDEMOVI  
PUBLICO ORDINARIO ORTHOPEDICAE  
PR. S. S. P. B.

PRO GRADU DOCTORIS  
IN ART. MEDICAE HONORIS ET TRIPLICIS  
MAGISTRI IMPERIALIS  
PR. S. S. P. B.

GODFREYUS BRUNNABVS THESSEN  
LITHOGR. S. S. P. B.

Typis Joannis Christiani Gleditschii, Act. Typogr.



MEDICINAE MENTIO... VIRO...  
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO AC DOCTIS-  
SIMO DOMINO

DOMINO  
HEINRICO BERNARDO  
HÜBNER

MEDICINAE DOCTORI AC PRACTICO RASTEN-  
BURGENSI LONGE CELEBERRIMO CONSULI HUIUS  
CIVITATIS DIGNISSIMO AC GRAVISSIMO

AVO SVO OMNI FILIALI REVERENTIA ET AMORE IN  
AETERNVM COLENDO

NEC NON

VIRO  
EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO AC DOCTIS-  
SIMO DOMINO

DOMINO  
GODOFREDO THIESEN

MEDICINAE DOCTORI AC PROFESSORI IN  
ALMA ALBERTINA PVBLICO ORDINARIO  
LONGE CELEBERRIMO

PATRVO AC PRAECEPTORI SVO PIO ET GRATO  
ANIMI AFFECTV AD CINERES VSQVE DEVENERANDO

HANCCE QVALEMCVNQVE DISSERTATIONEM MEDICAM  
INAVGVRALEM  
IN DEVOTAE AC PIAE MENTIS TESTIMONIUM  
PVBLICVM  
CVM ARDENTI VOTO  
PERPETVAE AC OMNIGENAE PROSPERITATIS  
AC FELICITATIS  
SVBMISSE

MEDICINAE DOCTORI AC PRACTICO RASTEN  
BARGENSI LONGE CILIBERRIMO CONSVEL HVVS  
CIVITATIS DIC. D. D. D. CRASSIMO  
AVO SVO OMNI FILIATITATE ET AMORE IN  
FERNANDE GOLLINGO

VIRO

EXCILLISSIMO EXPERIENTISSIMO AC DOCTO  
SIMO DOMINO

DOMINO

GODOFREDO THIESSEN

MEDICINAE DOCTORI AC PROFESSORI IN  
ALMA ALBERTINA PVLICO ORDINARIO  
LONGE CILIBERRIMO  
AC PRACTICATORI SVO PISO ET GRATO  
RECTO AD CILIBERVSQVE DAVENLANDO

AVCTOR.





Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.



**D**E morbis infantum, morbisque puerorum, nuper modo in hac ipsa Friedericiana duæ prodierunt inaugurales *dissertationes* medicæ, quarum utraque divum sequitur HIPPOCRATEM; quippe qui *Aphorismorum sectione tertia*, non solum de morbis temporum tempestarumque varii generis, de morbis nempe vernalibus & æstivis, de autumnalibus atque hiemalibus, sed & de morbis ætatum, posterioribus huius sectionis aphorismis seorsim præcipit ex instituto. Ita autem ætatum morbos hoc loco collocavit HIPPO-

CRATES, vt de morbis *infantum recens natorum & lactentium* aphorismo XXIV. de affectibus *infantum dentientium* aphorismo XXV. de morbis *puerorum* aphor. XXVI. de morbis *puerorum ad pubertatem iam accedentium* aphor. XXVII. de *crisi* vero *morborum puerilium* aphor. XXVIII. dixerit particulariter. Iam de morbis *puerum, adolescentumque* differere debuisset *divus noster Senex*, siquidem inter *ætatem puerilem & iuvenilem adolescentia* omnino interiacet, si septenarium illum annorum numerum in determinandis variis hominum *ætatibus* sequi voluisset. Verum cum de morbis *infantum atque puerorum* quatuor vel quinque posuerit aphorismos, morbos autem reliquarum *ætatum omnium, sub morbis iuuenum, virorum atque senum, tribus vltimis* comprehenderit aphorismis, experientia quoque constet, quod primo & secundo annorum septenario plures moriantur homines, quam cæteris vitæ humanæ periculis; ad maiorem minoremque morborum frequentiam, in recensendis *ætatum affectibus præternaturalibus*, procul dubio insimul respexit artis salutaris antistes. Deinde vero *pubertas* tollere magis videtur quam inferre morbos, quemadmodum *adolescentia*, *ætatum omnium moderatissima*, si epidemicos exceperis, paucissimos sane morbos familiares habet. Accedit etiam hoc, quod non novi facile hac *ætate* gignantur morbi, sed affectus *præternaturales adolescentiæ ineuntis*, si qui sunt, cum morbis *pueritiæ exeuntis, exeuntis autem adolescentiæ morbi cum affectibus iuventutis ineuntis* plerumque sunt communes. Taceo



ceo in præfenti, *ætatem ipsam iuvenilem eodem iure duo comprehendere posse annorum septenaria*, ab anno scilicet XIV. ad XXVIII. quemadmodum ætas virilis pariter ac fenilis tribus communiter circumfcribitur vitæ humanæ periodis; siquidem non solum de *senectute triplici* loquuntur Medici, viridi, media & decrepita, sed & ætatem virilem, consistentem & declinantem ab anno XXIX. ad L. usque extendunt. Sequamur igitur etiam nos in exponendis *juvenum morbis*, artis medicæ principem, qui ex interpretatione ANVTII FOESII, optimi textus græci interpretis, aphorismo XXIX. de morbis ad ætatem juvenilem pertinentibus hunc in modum perite edisserit: *JUVENIBVS sanguinis spuitiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales & alii morbi, sed præcipue prædicti accidunt.* Quemadmodum vero hoc loco ipse fatetur HIPPOCRATES, *plures omnino dari morbos, juventuti non minus ac prædicti illi frequentes, quo varii pectoris affectus tam interni quam externi, spectant potissimum; ita nobismet ipsis ea in præfenti dissertatione nostra & sentiendi & scribendi licebit uti libertate, ut morbis ita dictis juvenilibus*, ab HIPPOCRATE in medium prolatis, breviter expositis, *unum alterumve non solum affectum præternaturalem, de quo Senex noster in hoc ipso aphorismo nihil dixit, addamus; sed in causas etiam horum morborum, ea qua decet ratione, inquiramus; tandem quoque breviter de consiliis, auxiliis & remediis dicamus, quibus isti juvenum morbi partim præcaveri, partim*

partim vero *mitigari*, vel si fieri poterit, penitus *extirpari* queant. Interim DEVS TER OPTIMVS MAXIMVS gratia sua elemente huic nostro labori adesse velit, quam humillime rogamus.

## §. I.

*Varie hominum aetates.*

Quemadmodum *etas generatim* certam denotat temporis partem, qua rerum finitarum durationem, seu existentiae continuationem metiri solemus; ita per *aetates hominum speciatim* eas intelligimus vitae humanae periodos, quibus notabiliores contingunt corporis animique mutationes. Sunt qui tres cum ARISTOTELE aetatum humanarum periodos generaliores constituunt, *incrementum*, quod tribus prioribus annorum septenariis potissimum absolvitur, *infantiae* nempe, *pueritiae* & *adolescentiae*; *consistentiam*, quae *juventutem*, *aetatem virilem* & *consistentem* stricte sic dictam sub se comprehendit; & *decrementum*, quo *triplicem* referunt *senectutem*, *viridem*, *mediam* & *decrepitam*. Alii vero quatuor vitae humanae ponunt *periodos generaliores*, *impubertatis* nempe, quae *infantiam* & *pueritiam* sub se habet; *pubertatis*, quae *adolescentiam* continet atque *juventutem*; *virilitatis*, quae *robur* & *consistentiam corporis animique* complectitur; & *decrementi*, quo *declinationem* & *virium defectura* referunt. Quamvis autem utraque aetatum humanarum *distinctio generalior*, diverso quidem

dem respectu, facile admitti possit, posterior tamen, quam in conspectu Physiologiae medicae tab. XXVI. *Illustr.* Dominus PRAESES ipse amplectitur, ad mentem & sententiam diui Medicorum Principis propius accedere videtur, quippe qui prioribus aphorismis quatuor, *morbos potissimum impubertatis*, praesente aphorismo XXIX. *pubertatis*, aphorismo sequenti XXX. *virilitatis*; ultimo vero aphorismo XXXI. affectus praeternaturales annorum *decrementi*, sub morbis *senum*, maxime comprehendit.

## §. II.

Qui *septenarium* annorum numerum, in distribuendis aetatum humanarum periodis specialioribus, *quid, & quomodo* strictius sequuntur, *primumque aetatis septenarium infantiae, secundum pueritiam, tertium vero adolescentiae* tribuunt; illi quidem per *iuuentutem* *strictè* sic dictam, *quartum* intelligunt annorum *septenarium*, quod ab anno XXI. vsque ad XXIX. computari solet; in sensu *latiori* non solum adolescentiae sed & aetatis virilis partem, quemadmodum in sensu *latissimo* integram saepe adolescentiam, cum primo aetatis virilis septenario, atque ita tria annorum septenaria, *iuuentus* comprehendit. GALENYM hac in re si consulamus, *adolescentia* ab anno XIV. vel XVIII. ad XXV. vsque; *iuuentus* vero ab anno XXV. ad annum vsque XXXV. extendenda erit; CELSVS autem per *receptiones* hoc loco & *iuvenes* & *adolescentes* vna & simul intelligendos esse contendit. Sed tota haec, de variis vitae humanae periodis specialioribus, contro-

versia optime forsan dirimi poterit, si duabus prioribus aetatis humanae periodis generalioribus, *impubertati* nimirum atque *pubertati* priora quatuor annorum septenaria ad annum usque XXVIII; duabus autem posterioribus, *virilitati* nempe ac *senectuti* tria cuilibet tribuamus septenaria, ita quidem, ut eadem ratione *triplicem* ponamus *virilitatem ineuntem*, *mediam* & *exeuntem*, qua *triplex* vulgo constitui solet *senectus ingravescens*, *media* & *postrema*. Nobis in praesenti sufficit, si cum CELSO asseramus, HIPPOCRATEM hoc loco per vocem *νεανιστες*, & *αδολεσcentes* & *ιυvenes*, magis tamen hos quam illos innuere voluisse.

## §. III.

Quinam  
morbi iuvenum  
dicantur.

Pro *diversa* itaque *iuventutis denominatione*, vel *strictiore* vel *latiore*, vel *latissima*, ipsi etiam *morbi iuvenum* diversimode accipiuntur. Si *stricte* sumamus *iuventutem*, affectus isti praeternaturales, qui *quarto* annorum *septenario*, ab anno videlicet XXI. ad XXIX. usque contingunt, *morbi iuvenum* dicendi erunt proprie; sicut vero quodlibet annorum septennium cum proxime antecedente & subsequente, ob propiorem aliquam corporis animique cognationem, intime cohaeret; ita etiam *iuentus* cum *adulescentia exeunte*, & *ineunte virilitate arctissimo nexu* est coniuncta. Quare in determinandis *morbis iuvenilibus* periodum paulo *latiorem* constituere debemus, ab anno circiter XIIX. ad annum XXXII. vel, ut GALENVS aliique volunt XXXV. usque, qua ipsa

ipfa quidem ratione *morbos adolescentiæ exeuntis, & virilitatis ineuntis* sub morbis iuuenum vna & simul complectimur. Cumque *ineuntis adolescentiæ morbi* vel rarius contingant, vel cum morbis puerorum, ad pubertatem accedentium, conveniant plerumque, prouti iam diximus in præmio; facile patet ratio, cur de *morbis adolescentum* peculiarem ponere aphorismum non opus duxerit HIPPOCRATES, nec nos singularem de hoc argumento tractationem instituerre voluerimus.

## §. IV.

Quamvis autem *quatuor modo affectus præternaturales, iuventuti maxime familiares*, divus noster Senex adduxerit hoc loco: *sanguinis nempe spiritio- venum mor- nes, tabes, febres acutas & epilepsias*, ipse tamen e- bos HIPPO- CRATES dem aphorismo alios insuper agnoscit morbos, ætati iuvenili non adeo quidem infrequentes, dum addit: *aliique morbi, sed præcipue nunc dicti*. Refert in hunc censum *phrenitides, anginas, choleras & dysenterias* doctissimus HIPPOCRATIS interpres, IACOBVS HOLLERIVS, Medicus quondam Parisiensis longe celeberrimus, in *commentario* ad hunc aphorismum. Eisdem ferme nominat morbos IOAN. IAC. FICKIVS, Ienenſium Medicus haud incelebris, qui ante aliquot abhinc annos HIPPOCRATIS aphorismos ex hypothesibus *Cel. WEDELII* doctissime illustravit: ita enim differit ad finem huius aphorismi XXIX. *quin immo consimiles alii morbi calidi & biliosi, ut sunt phrenitis, & inflammatoriæ plures,*

plures, itemque cholera accidere iuvenibus, velut proprii magis & per ætatis dispositionem, solent.

## §. V.

Plures adfert  
adolescens-  
tum & iuven-  
num morbos  
STAHLIVS.

Paulo prolixiorem morborum adolescentiæ & iuventutis catalogum exhibet STAHLIVS in diss. de morborum ætatum fundamentis pathologico-therapeuticis cap. II. vbi hunc in modum commentatur: „circa & versus tempus PUBERTATIS, non contingunt „æque insignes peculiare affectus, sed magis tamen „eveniunt pathemata circa fauces, tumores anginosi, inflammatorii aut tonsillarum viscosi, inflatorii. Ab „hinc circa tempus ADOLESCENTIÆ floridæ frequen- „tiores circa pectus ingruunt affectus: tusses sicca effera, aut tumida quoque acres & impetuosæ raucedines, asthmata convulsiva, dolores rheumatici circa „scapulas, thoracem, humeros, cervicem, palpitationes „cordis; Inter eandem & iuvenilem familiares: hæmoptysis, phthisis, pleuritis vera & spuria spasmodico-artbritica. At in iis, qui temperamenti ratione, „cum vitæ genere sedentario & segni concurrente, laborant, hypochondriacæ passiones maxime vigent, „hac ipsa inter adolescentiam & iuventutem fluctuantate ætate. Imo sunt et talibus non rari, qui præpostera medicamentorum methodo aut sponte quasi, interdum in hac etiam ætate hæmorrhoides internas „experiuntur.“

## §. VI.

Quorum recensio continuatur.

Frequentes vero, pergunt STAHLIVS, admodum sunt huic ætati, concurrentibus iracundia, nimia

mia exæstuatione a præcipitibus motibus, & subiunctis frivolis refrigerationibus ingurgitationibusque vini ætuoſi Thuringici, Miſnici, Auftriaci, Hungarici, & quæ ſunt reliqua, *'arthritides vage, cum hypochondriaco - hepaticis aut pleuriticis periculis* quaſi connexæ, vt cum iſta ſupprimantur, hæc contra exardeſcant. Inter *iuuenilem & virilem ætatem*, in noſtris maxime frigidis regionibus, ſi vita otioſior, cum motibus rarioribus ſed ſuccuſſatoriis, concurrunt *dolores lumbarès*, & ex illa damnabili empiria, ad hoc præcipue negotium præcipiti, (dum illis quibus lumbi dolent, itatim calculi labor indicitur, & nullis fere experimentis magis ſcatet vulgus quam contra calculum) qua ſtatim variis pellentibus ad calculi ſuſpicionem vtuntur, *nephritis primo ſimplex mox calculoſa*. Tandem addit: Conſiniis ætatis *iuuenilis & virilis* profundiores circa *os ſacrum & coxendicem dolores*, qui ſi ſponte vel arte male ſuccedente, vel decubitus motuum incongruorum &c. vitiis ad caput oſſis femoris declinent, a *gonagra & podagra* vnguem latum abſunt. Neque ſane opus eſt, niſi præcipiti aliquo regimine præmaturo inſtituto, quin ſubito adſint.

## §. VII.

Verum cum *faucium & tonſillarum affectus præternaturales*, vna cum *tuſſi, raucedine & ſpirandi difficultate*, inter morbos *pueriles, pleuritides vero, ætatis virilis; nephritides autem & articulorum dolores*, quo *chiragra, gonogra & podagra ſpectat*, inter morbos

morbos *senum* retulerit, HIPPOCRATES, idque non sine ratione sufficiente: ex omnibus istis §. V. & VI. in medium allatis adolescentum & iuvenum morbis, præter *sanguinis sputiones*, *tabes*, *febres acutas* & *epilepsias*, quas Venerandus HIPPOCRATES ipse adduxit, soli ferme *dolores rheumatico-artbritici*, vna cum *cordis palpitationibus* peculiarem hoc loco considerationem merentur. Ceterum nemo facile negaverit, quod circa tempus *adolescencie* pariter ac *iuventutis* affectus pectorales varii generis, tam interni, inter quos *pleuritis vera* atque *spuria* non vltimum sane locum tenet, omnium frequentissime ingruant. Prouti autem inter *etatem iuvenilem* & *virilem* proxima sane intercedit cognatio; ita etiam a præternaturalibus infimi ventris affectibus, a *passionibus* nempe *hypochondriacis* & *motibus hæmorrhoidalibus* non adeo immunes esse solent iuvenes, præsertim vitæ sedentariæ dediti. Sed infimi ventris morbos, vna cum *pleuritide*, *phrenitide*, *cholera* & *hæmorrhoidibus*, iis relinquamus, quibus forsitan de virorum ac senum morbis ex instituto aliquando differere placuerit, Nostrum vero erit in præsentī, vt ad ductum aphorismi XXIX. de iis *iuvenum morbis* præcipue dicamus, qui cum *media* hominum *etate* *mediam* præcipue *corporis cavitatem* iuxta HIPPOCRATEM potissimum infestant.

## §. VIII.

*Sanguinis  
sputiones.*

Inter morbos iuvenum, ex mente & sententia nostri Auctoris, primum occupant locum *apertæ* & *obscure*, *sanguinis sputiones*, prouti duas istas voces gra-



græcas, duobus itidem latinis verbis non male quidem expressit ANVTIVS FOESIVS, quem supra iam laudavimus. Hodie affectum hunc ce pectoralem, juvenibus quasi proprium, uno sed composito nomine ex duobus istis vocabulis græcis *αιμα* & *ηλωσις*, *hæmoptysin* appellare solemus, eumque non solum a vomitu cruento, sed a spūo etiam cruento tam simplici quam complicato peripneumonicorum ac phthisicorum merito discernimus, quo de discrimine mox plura dabimus in paragrapho sequente. Est autem *hæmoptysis* evacuatio seu excretio sinceri *spumosi* ac floridi sanguinis per os cum tussi & spuma ex vasis cum pulmonariis tum bronchialibus arteriosis & venosis ruptis. *Causæ* hujus ejectionis sanguinis præternaturalis *proxima* est ejusdem copia & congestio versus pectus, *causa* vero *remota* vasorum sanguiferorum ruptura sine dubio prædicatur. Sed si in *causis* hujus mali inquiramus *occasionales*, primo nobis occurrunt *internæ*, ubi consideranda veniunt:

- a) Subjecti *temperamentum*, *etas* & *dispositio hereditaria*. Plerumque enim homines sanguinei temperamenti, sanguineo-melancholici, sanguineo-cholericici, cholericico-sanguinei, juvenus florida, succisque laudabilibus plena, vitæque otiosæ dedita, & præterea vasorum gaudens teneritudine hoc corripuntur morbo.
- b) *Omnes consuetæ sanguinis excretiones interceptæ*, e. g. V. Snis, hæmorrhagiæ narium, hæmorrhoidum, mensium, lochiorum, vel subito suppressæ per *adstringentia fortiora*.

c) Spa-

- c) *Spastica vasorum alibi facta contractiones precipue in abdomine, & hinc proficiscentes regurgitationes versus superiora. Ad causas vero procatarticas externas attendentibus ita dictæ res non-naturales apparent, sanguinem ad orgasmum disponentes. Sit itaque*
- 1) *Aer vel nimis calidus, qui propter elasticitatem suam necessario vasa sanguifera ultra extensionis suæ sphaeram expandet, motumque inordinatum in sanguine excitabit, ex qua dilatatione præternaturali & excitato fluidorum cursu cito pede sequentur vasculorum ruptiones; vel multis particulis heterogeneis corrosivis repletus, qui ad pulmones respiratione delatus ibi arrodendo & constringendo perniciosos edet effectus.*
  - 2) *Cibus & potus, aromaticus & spirituosus sanguineam massam nimis rarefaciens.*
  - 3) *Motus justo vehementior & subitaneus, nec non visus vehementior in tollendis & gestandis oneribus, quo etiam præterea referri possunt clamores, risus, tusses, sternutationes, vomitus, inebriationes, denique plagæ, casus ab alto; verbo quæcunque vis pulmonibus extraordinaria illata.*
  - 4) *Somnus nimius & vigilia otiose maxime suum conferunt symbolum ad sanguinis abundantiam, spissitudinem & acrimoniam, hincque dependentes vasorum obstructiones, inflammationes & exulcerationes.*
  - 5) *Excretionum humorum suppressæ & retropulsæ, e. g. bilis, materiæ transpirabilis, in corpore imprimis*

primis calente, qua multæ nocivæ partes in sanguine accumulatur & nonnunquam per metastasim ad partes nobiliores amandantur. Præprimis vero notari merentur

- 6) *Vehementes animi affectus* e.g. ira, gaudium, terror, in quo casu, ob spasticas & quasi convulsivas vasorum contractiones, sanguis partim a centro ad peripheriam, partim a peripheria ad centrum pellitur; hinc pulmones facile, ob teneram partium structuram, damnum aliquod experiri possunt.

## §. IX.

Differunt autem istæ sanguinis spuitiones, seu hæmoptysis strictè sic dicta, non solum a vomitu cruento, ubi sanguis vel cum cibis & potu commixtus, vel solus, sub nigricante specie, & in grumos quasi conversus, sub anxio vomendi conamine, sine vlla tussi excernitur, sed a sputo etiam cruento, tam simplici, quando saliva cruore tincta, aut mucus sanguineis striis scatens, cum multo laborioso screatu reiicitur, quam complicato pleuriticorum, peripneumonicorum atque phthisicorum, qui vel sanguinem crassum, vel pus sanguine tinctum non simul & semel, sed repetitis vicibus cum tussi eiiciunt. Sputum insuper cruentum aliunde etiam provenire potest, nempe ex recessu narium ad vuulam terminante, e gingivis, e summis faucibus absque omni tamen vitio pectoris complicato, siquidem plerumque consecrarium est imperfecti cuiusdam molliminis, hæmorrhagiam

giam narium respicientis, & tam iunioribus quam adultioribus est commune; hæmoptysis vero solam ferme occupat *etatem iuvenilem*, ab anno XVIII. ad annum vsque XXV. rarius XXX. rarissime XXXV. vsque.

## §. X.

*Tabes.*

Φθίσις seu *tabes* secundum inter *morbos iuvenum* locum, iuxta HIPPOCRATEM, sibi vindicat. Oritur ista vox από τῆς Φθίσεως, quod est *minui* seu *consumi*, & sic generatim omnem corporis maciem, contabescentiam, consumptionem ac diminutionem non solum humorum, sed ipsarum etiam partium solidarum, denotat, a quacunque causa illa oriatur; speciatim vero eam corporis extenuationem Φθίσις vocat HIPPOCRATES, quæ pulmones insanabili comitatur ulcere, quamque Athenienses Φθίσις proprie dixerunt. Ita enim GALENVS in *commentario ad aphorismum XVI. sect. VII.* quam Græci, ait, præsertim vero Athenienses *phthoen* appellant, hanc nunc HIPPOCRATES *phthysin* h. e. *tabem* nominavit, ex pulmonis insanabili ulcere ortam, totius corporis extenuationem cum febre parva involventem. AVCTORI quoque definitionum medicarum *phthysis* seu *tabes* est pulmonis ulceratio, aut thoracis aut faucium, adeo ut tussis consequatur, & febres languidæ, & corpus colliquetur. Recentiores *phthysin* definiunt, quod sit ulcerosus pulmonum affectus, a stasi sanguinis ibi collecta, & in corruptionem deducta, originem sumens, cum successiva

cessiva corporis extenuatione, tussi, difficultate respirandi & febre lenta maxime coniunctus.

## §. XI.

Varias iam veteres posuerunt *phthiſeos differentias*. ita de *phthiſi iſchiadica*, de *phthiſi renali*, tabe *dorsali*, de *phthiſi torius habitus corporis* passim loquitur HIPPOCRATES, quando ex malo habitu & ca-  
*cochymia* totum corpus contabescat. *Phthiſeos autem pulmonalis*, tanquam omnium frequentissima, tres iterum constituit *differentias*, *vnam* a destillatione e cerebro, eaque vel multa, nec expulsa, quæ pulmones molles ac tenellos putrefaciat, vel quod frequentius fiat, acri & exedente, vt *falsa & biliosa*; *alteram* ex successione pleuritidis, anginae aut peripneumoniae, in quibus vomica rupta intra quadraginta dies repurgari non potuit; *tertiam* frequentissimam, ex ruptione aut apertione vasis *arterioris*, ex qua relinquatur *ulcus*, quo tunicae vasorum & ipsius pulmonis caro erodantur. Parum vel nihil ab hactabris pulmonalis differentia recedit GALENVS, qui in *comment. I. in lib. I. Epid.* duas maxime ponit *phthiſeos differentias*: *vnam* quidem, quæ ex capitis defluxionibus contrahatur, *alteram* vero, quæ ex ipsius pulmonis affectibus præternaturalibus inducatur, omnino quidem ex *cruentis sputis*, præcipue vbi vas ruptum fuerit, plerumque vero fluxione affecto viscere, ob aliam quandam causam ex reliquis partibus, non ex capite. CELSVS autem facit *tria* tabis genera: *atrophiam*, *cachexiam* & *phthiſin*. Verum

cachexia ab atrophïa & phthiſi in eo maxime differre viderur, quod in his extenuatum corpus ſenſim contabefcat, in illa vero ampliorem plerumque molem fortiatur ob vitioſam nutritionem.

## §. XII.

*Ex mente recentiorum.*

Secundum recentiores *phthiſis* ſtriſte ſic dicta, quam a *vomica pulmonum*, *hectica abdominali*, *atrophia infantum* & *marafmo ſenili* merito diſcernunt, gradu maxime diſtinguenda, ſiquidem alia eſt recens modo ſeu incipiens, alia vero eſt inveterata ſeu confirmata. In *pulmonum* enim læſione, prouti recte monet *Illustr. Dominus PRAESES tab. de phthiſi*, vel *ulcerofa* tantum adest diſpoſitio, vel vera iam & consummata deprehenditur *exulceratio*; in priori ſtatu tantum adest ſcirrhoſa collectio materiæ tenacis & viſcoſæ, quæ nodos ſeu tophos format, & ab actu corruptionis adhuc libera, vnde quoque ægri per plures annos vitam ſuam tranſigunt ſine vlla phthiſeos ſuſpitione; in poſteriori vero hæc materia ſcirrhoſa & ad corruptionem prona, propter accedentem inflammationem, vlcus iam erumpens & plane consummatum conſtituit, ſub qua conſtitutione febris hectica cum reliquis ſymptomatibus exacerbatur, & æger intra breve tempus miſerrime conſumitur. Plura qui de *phthiſi* tum in genere, tum in ſpecie, de *phthiſi pulmonari*, tam originali quam ſymptomatica, variis que eius ſignis, cauſis & medendi methodo deſiderat, ille adeat celeberrimum Anglorum Medicum RICHARDUM MORTON, in *Phthiſiologia ſeu exercitationibus de phthiſi*.

## §. XIII.

## §. XIII.

Sequuntur *febres acutæ*, quas inter *morbos iuveniles* tertio loco posuit HIPPOCRATES. *Febris acuta.* Opponuntur *πυρρῆς ὄξεις febres* ita dictæ *acutæ*, quoniam magno & acri quodam impetu, non sine ingente vitæ discrimine, velociter decurrunt, *πυρρῆς χρονικῆς febribus* sic dictis *chronicis*, quæ ampliorem habent periodum, siquidem tarde, lente, pedetentim & non nisi longiore temporis spatio absolvuntur. Ita vocem hanc interpretatur GALENVS *Comment. I. in lib. VI. Epidem.* dictionem, inquit, *ὄξεις*, quod est *acutæ*, de calore celeriter occurrente, & motionem suam velocem ostendente, accipere te oportet; quemadmodum acutos aliquos dicimus *acres*, quod idem est, ac si celeres intelligas, qui celeriter in finem usque sua pertranseunt tempora, qui magni & periculosi sunt, plurimosque necant. Quemadmodum vero Aphorismo XXVII. *febres diuturniores pueris grandioribus* & ad pubertatem propius accendentibus, ob frequentiores diætæ errores, & primarum viarum vitia, *febres* autem *inflammatorias & ardentis etati virili* potissimum adscribit aphorismo XXX; ita *febres acutas* in genere aphorismo XXIX. ob vehementiora animi pathemata, maioremque bilis acrioris abundantiam, *iuvēnibus* maxime tribuit divus in arte Senex.

## §. XIV.

Prouti autem *febres peracutæ*, quæ *acutis* opponuntur, diem *septimum* rarius excedunt, sed vel eo ipso die, vel citius iudicantur; ita *febres acutæ* plurimum *Varia dantur febrium acutarum species.*

rumque ad *decimum quartum* usque diem, aliquando etiam ad *vigesimum primum* protrahuntur. Ad febres *peracutas* peltis, caufus, febris leipyrica aliaque interdum malignæ pertinent, quæ die quarto aut quinto ægros interimere solent; ad *acutas* vero febres ita dictæ *continuae benigne* maxime spectant, in quibus aliqua quidem febrilium motuum *remissio*, neququam vero plenaria contingit *intermissio*, sicut febres *continentes* eadem vehementia, qua subiectum corripuerunt, citra ullam remissionem, nedum intermissionem, ad exitum usque perdurant. Huius generis sunt febres ita dictæ *simplices*, vt ephemera simplex, ephemera plurium dierum, continens καὶ ἐξοχὴν sic dicta, synocha alias appellata, & *compositæ*, quales sunt synochæ putridæ. Febribus autem *continuis* annumerantur continua simplex, febres catarrhales, biliofæ, inflammatoriæ, exanthematicæ benignæ & malignæ, continua tertiana, quartana, & ex *chronicis* lenta ac hectica.

## §. XV.

*Quenam ex  
his ætati iu-  
venili maxi-  
me sint fami-  
liares.*

Quamvis autem febres *acute* & *peracute* non adeo quidem *ætati iuvenili* propriæ sint, vt non aliquando in alias etiam hominum ætates cadant, experientia tamen constat, quod ætati *iuniori*, agiliori, indolis animi activioris, iracundæ, impatientis magis sint frequentiores, quam hominibus maiore iam ætate provectis: id quod de febribus tam *continentibus* quam *continuis* plerisque valet, præsertim vero febres *malignæ*, sive epidemicæ sint, sive sporadicæ, nulli quidem



quidem parcunt ætati, sexui ac temperamento, quoniam miasma illud subtile contagiosum cum aere, cibo potuque sanguini, lymphæ reliquisque humoribus communicatur; inuadunt tamen potissimum homines mediæ ætatis, adolescentes, iuvenes aliosque in vigore ætatis consistentis vitæque sedentaria constitutos. Hanc igitur ob rem, quod ætas iuuenilis cum ætate puerili ex una quidem parte, ex altera autem cum virili intime cohæret, neque a febribus *intermittentibus*, ob vitæ & diætæ errores, huic ætati maxime noxiæ & propriiores, nec a febribus *ardentibus* & *inflammatoriis*, quas viris potissimum attribuit Medicorum Pater HIPPOCRATES, ipsi etiam *iuvenes* immunes plane esse videntur.

## §. XVI.

Vltimum inter morbos *iuuenum* locum tenent, *Morbi comitiales.* iuxta HIPPOCRATEM *επιληψιας*, morbus ille *caducus*, *sacer*, *magnus*, *Herculeus* ob difficilem curationem dictus, quem latini morbum *somitialem* appellarunt, a *comitiis*, quæ statim interrumpebantur, si quis forte ex præsentibus illo die in hunc morbum incidisset. Est autem *epilepsia* motus convulsivus musculorum plus minus repentinus, summe exacerbatus alterneque repetens, artus præcipue, caput & pectus miserime affligens, sensuumque abolitionem per totum paroxysmum inferens, a quacumque irritante causa, siue vera siue ficta, dependens. Magna enim in hoc affectu *differentia* ad praxin summe necessaria est observanda, quippe qui vocatur vel *idiopathicus* & *κατ' εὐνοίαν* epilepsia, qui sedem suam fixam in ipso cerebro

rebroy habere creditur, *sympathicus* vero seu *consensualis*, si cerebrum propter connexionem cum aliis partibus, moruosa materia affectis, per communicationem ad motum istum convulsivum rapitur. Porro *epilepsia* ratione graduum in *mitiorem* & *vehementiorem*, ratione temporis in *vagam* & *periodicam*, *recentem* & *inveteratam*, ratione originis in *hereditariam* & *acquisitam*, ratione partium in *universalem* & *particularem* discernitur. Plura hac de gravi materia legi merentur in *diff. inaugurali medica* Prænob. Dn. D. BVCHNERI de *rationali epilepsia medendi methodo* Regiomonti habita.

## §. XVII.

Quo iure hic  
referantur.

Disputant HIPPOCRATIS interpretes, quo iure inter morbos iuveniles hoc loco referantur *epilepsia*, cum tamen experientia, optima rerum magistra, nos edoceat, quod *pueri* vel *infantes* longe frequentius hoc morbo corripiantur, quam *iuvenes* & ad ætatem virilem propius iam accedentes. Ita HOLLERIVS iam supra laudatus, in commentario ad hunc aphorismum: *At epilepsia*, inquit, *iuvenibus sunt non ratione ætatis, sed erratorum vitæ, collecta multa pituita in cerebro; epilepsia enim est morbus puerilis, ut ante diximus, a multitudine pituitæ, in ea præsertim pueritia, quum dentes generantur, ut ait AVRELIANVS.* Sed ipse doctissimus FICKIVS jamjam monuit in notis ad hunc locum, quod *epilepsia in pueris* quidem a *pituitoso*, in *iuvenibus* autem ab *acri bilioso humore* procreetur, tam ad cerebrum deposito, cuius membranas spasmodice vellicet & producat *essentialem*, quam

quam in primis viis collecto, exasperato assumtorum acrium accessione, & fibras istarum nerveas vehementer irritante, quo modo *consensualis* sistatur epilepsia. Verum si rem æquo ponderamus iudicio, *epilepsia* sticte sic dicta, seu *essentialis* vel *idiopathica* adolescentibus, iuvenibus & virili ætate iam provectis, qui comitiis interesse solent, magis omnino solemnis esse deprehenditur, quam pueris & infantibus; quippe qui *convulsionibus symptomaticis* non solum tempore dentitionis, sed & cum variolæ imminent, vel vermes illos discruciant, frequenter satis corripuntur. Quamvis id non temere sit negandum, quod, qui ætate infantili & puerili convulsionibus sæpius fuerint obnoxii, isti in ætate iuvenili & virili morbum ita dictum comitalem tanto facilius incurrant.

## §. XVIII.

Sed dantur adhuc *alii morbi juvenum* ipso fatente *Dolores*  
 HIPPOCRATE, quorum plures supra §. IV. V. & VI. *rheumatico.*  
 in medium produximus; inter hos tamen iuxta *arthritici, &*  
 §. VII. duo maxime eminent, *dolores* nempe *rheuma-*  
*tico-arthritici & cordis palpitaciones,* de quibus inter  
 omnes facile constat, quod ætati iuvenili & virili perquam sint communes. Quamquam verò morbus uterque ex spasmodorum familia oriundus, ex una quidem parte, humorum versus hanc vel illam corporis regionem cum imperu quodam factam congestionem, ex altera autem exacerbata motus tonici intensio-

D

nem

nem, sat fecundos agnoscit parentes; nihilo tamen minus dolores rheumatici in partibus magis musculosis, circa scapulas, humeros, thoracem & lumbos, arthritici autem in artubus, potissimum circa manuum pedumque articulos, contingere solent. Cumque isti dolores vel in uno loco hæreant *fixi*, vel per varias corporis partes *hinc inde oberrent*, recte omnino *arthritis in fixam & vagam* dispescitur. Variæ dantur *arthritidis species*, nomine magis quam re ipsa a se invicem discrepantes, nisi quod pro diversa hominum *ætate, loco* maxime inter se differant. *Cordis* autem *palpitatio* oritur a motu cordis spastico-convulsivo & frequentiore, & fortiore, propter sanguinis circulum vel impeditum, vel inversum.

## §. XIX.

*Morborum  
juvenilium  
causa generaliores.*

Hæc de morbis juvenum ipsis sufficiant in præfenti. Pergimus nunc ad *secundum* tractationis nostræ *momentum*, ad *causas* nempe *morborum juvenilium* tam *generaliores* quam *specialiores*. Quoniam vero *causæ morborum generatim* in *naturales, non-naturales & præternaturales* non male dispescuntur, inter *causas* quoque *naturales*, ex consensu Medicorum omnium, ipsa hominum *ætas*, & ab hac proveniens varia corporis animique constitutio, non ultimum sane meretur locum; hinc quod ad *ætatem juvenilem* attinet, ex una quidem parte *habitus corporis tenuior, & partium solidarum laxior textura*, ex altera vero *partium fluidarum nimia & excedens abundantia*, ætati

ætati iuvenili fere naturalis, præsertim autem *plethora* a variis causis tam internis quam externis vehementer *commota*, & ob ætatis rationem ad pectus & thoracem potissimum directa, inter *causas* morborum iuvenilium *generaliores*, primas merito sibi vindicant locum. Accedunt insignes iuvenum *errores* contra regulas de tuenda bona valetudine, singulis non dicam diebus, sed horis ferme singulis commissi. Licet enim verissimum omnino sit, quod vulgo quidem dicitur, *sanis omnia esse sana*, quo dicto maxime gloriari solet vicens florensque iuventus; non minus tamen veritas etiam alterius effati, *omne nimium verti in vitium*, per experientiam pariter ac rationem fati superque comprobatur: idque non solum de *dieta stricte sic dicta*, quo cibum potumque maxime referunt, sed de rerum non-naturalium omnium pessimo abusu, præsertim vero de *immoderatis iuvenum animi pathematibus*, infensissimis motuum naturalium & vitalium hostibus, intelligendum esse videtur.

## §. XX.

Varie omnino existunt causæ specialiores hæ- *Causæ specialiores hæ-*  
*moptyseos*, quarum potiores supra iam §. VIII. in me- *moptyseos hæ-*  
 dium produximus. Sed de eo maxime hic quæritur: *moptyseos hæ-*  
*cur etas iuvenilis hoc ipso sanguinis fluxu ex pulmoni-* *iuxta vete-*  
*bus, præ ceteris hominum ætatibus, frequentius labo-* *res.*  
*ret, quemadmodum etas puerilis narium hæmorrhagias,*  
*virilis autem fluxum hæmorrhoidalem, & senilis*  
*mictum cruentum,* potissimum experiuntur. HOL-  
 D 2 LERI-

LERIVM si audiamus, ille de *causis morbi* huius *iuvenilis* hunc in modum commentatur, loco supra citato: „*Juvenibus ergo sanguinis sputiones accidunt,*  
 „*quæ habent causas externas & internas. Externe*  
 „*sunt e.g. casus, ictus, vulnus, saltus, clamor ingens,*  
 „*alimenta acriora, quæ cum reddant sanguinem acrio-*  
 „*rem & biliosiore, hinc pungit vasa sua acrimonia*  
 „*& expuitur. Interne causæ sunt plenitudo & qualitas*  
 „*sanguinis; in iuvenibus enim, qui præsertim libera-*  
 „*lius vivunt, plurimum sanguinis colligitur in venis,*  
 „*præsertim thoracis, quæ sunt molliores, ita ut hæ-*  
 „*rumpantur. Interdum colligitur in cerebro sanguis*  
 „*acris & biliosus, qui si defluat in fauces, quod sæpe*  
 „*fit in iuvenibus, facit anginam. Hinc etiam GALE-*  
 „*NVS, ARCHIGENES, AVRELIANVS, ponunt an-*  
 „*ginam inter familiares morbos iuvenum, si vero de-*  
 „*fluat in pulmones, fit sputio sanguinis, a sanguinis*  
 „*sputo tabes, erosio videlicet ab acriore humore pul-*  
 „*monum vasis, z. 7. 2. A qua ipsa hæmoptyses pa-*  
 „*thologia parum vel nihil recedit FICKIVS, in notis*  
 „*ad hunc aphorismum HIPPOCRATIS. Sed quam*  
 „*manca sit pathologia falsa arrodens & perrodens, no-*  
 „*stro tempore satis evictum est.*

## §. XXI.

*Secundum recentiores.* Recentiores *proximam & immediatam hæmoptyses causam esse perhibent, inequalem & impeditorem sanguinis per pulmonum vase transitum seu circulationem, dum maiori copia & impetu in arteriam pulmonalem eiusque ramos affluat & appellatur, quam*  
 vena

venæ eum recipere & reddere possint; quo deinde successive fiat magna tenuium vasorum, qui substantiam cellularem & vesicularem ipsaque bronchia perrepent, expansio, tandemque varicosa, seu aneurismatica potius intumescencia, & denique violenta ruptio. Ita *rationem formalem sanguinis fluxus ex pulmonibus* explicat Ill. b. m. FRIDERICVS HOFFMANNVS in *med. rat. system. Tom. IV. Part. II. Sect. I. cap. II. §. V.* Inter causas autem quæ sanguinis circulum inæqualem reddere solent, præter sanguinis abundantiam & orgasmum, partium nervosarum spasticas stricturas, viscerumque sanguineorum nec non pulmonis obstructionem, *peculiarem refert corporis habitum*, de quo §. X. hunc in modum disserit VIR laudatissimus: Porro de iis, que remotius ad inducendam sanguinis e pulmonibus eruptionem faciunt, per experientiam ipsam constat, corpora graciliora, tenerioribus fibris & vasis prædita, quæ collo instructa longo, pectore angusto simulque quadantenus depresso, in quibus pulsus celerius micat, cor etiam subinde palpitat, vna cum iis, qui a parentibus phthificis progeniti, in iram atque impatientiam sunt proclives, ac in adolescentia fluxum sanguinis per nares frequenter experti, desinente corporis augmento & in longum incremento, intra spatium anni vigesimi quinti ad trigessimum quintum usque, accedentibus aliis causis externis, perquam facile in hunc ancipitem morbum prolabi.

## §. XXII.

Hæmoptysin prægressam & male curatam facili- *Causæ phthi-*  
 limo *scos.*

limo negotio excipit *phthisis*, seu totius corporis contabescencia, ab insigni pulmonum substantiæ læsione originem suam trahens. Quando enim sanguis ex pulmonum vasculis intra particulas aëreas extra vasa cedit, & stasi concepta putrescit, partes vicinas corrodit, ac demum sinuositates efformat, vel in nodos & tubercula coit. Quemadmodum vero hæmoptyses, ita quoque phthiseos variæ esse possunt causæ, inter quas tamen primario hæreditaria dispositio, nimia sanguinis aliorumque humorum ad pectus congestio, diæta perversa, præsertim autem *ætatis iuvenilis peculiaris ratio* maxime eminent. Audiamus iterum hac de re Cel. FRID. HOFFMANNVM, qui *parte IV. cap. XI. §. XI.* de ætate iuvenili hunc in modum ratiocinatur. „Deinceps certa constat experientia, & vel „solius HIPPOCRATIS comprobatur testimonio, „*aphor. IX. sect. V.* homines, qui habitus corporis gracilioris ac tenerioris, staturæ proceræ atque ætate „iuvenes sunt, ab anno XVIII. ad XXXV. vsque, hæ- „moptysi æque ac phthisi valde esse obnoxios, vix „aliam ob rationem, quam quod in hac ætate vasa „sunt teneriora, longeque facilius, quam quidem in pro- „vectioribus expansa dissolvantur. Ut plurimum ve- „ro omniumque facillime hæmoptica ac phthisica ac- „cidit affectio viris & iuvenibus, qui temperamento „præditi sanguineo-cholerico, facile animo commo- „ventur, & in pueritia frequenter narium hæmorrhagias perpeffi sunt, præsertim si nimio motu inca- „lescunt; tum enim sanguis in nimia copia & impe-  
tuo-



„tuosius ad superiora & pectus compulsus, per mini-  
 „ma arteriæ & venæ pulmonalis vascula libero iti-  
 „nere ad cor redire nequit: vnde maiorum ramorum  
 „a subsistente sanguine nimix expansiones, disruptio-  
 „nes & denique extravasationes fiant, necesse est,,

## §. XXIII.

*Febres acutas ætati iuuenili non adeo quidem proprias esse, vt non in alias quoque hominum ætates cadant, supra iam diximus §. XV. Monet tamen doctissimus FICKIVS pro hypothese sua, in notis ad præsentem aphorismum, quod vigens, florensque iuuenum ætas multorum morborum præcipue vero calidorum, quos Germani generatim hitzige Fieber vocant, ferax sit, cum ipsa, obstetricante corporis constitutione & temperamento calido, copiosum simul & biliosum, salino-sulphureum maxime, calidum & acrem possideat sanguinem. Pronus est, inquit, talis sanguis ad exardescendum, proindeque vel ab erratis diætæ, aut conceptis fermentis peregrinis facile effertur febriliter, & certe ob sui mobilitatem caloremque a statu bilioso, sulphureo & volatili sale naturale, valde eximium, non nisi acute. Idem iudicat HOLLERIVS in commentario ad hunc locum: Febres, ait, acutæ, præsertim vero ardentes, fiunt iuuenibus, tum ratione ætatis, quæ biliosa est, tum oberrata vitæ; cum enim intemperanter vivant, multam cruditatem coacervant, quæ bili permixta gignit illas febres.*

Consentientem habemus ex recentioribus Celeb.

FRID.

*Vnde iuuenum febres acutæ oriuntur.*

FRID. HOFFMANNVM qui *Tom. IV. part. I. sect. II. cap. II. §. VIII.* de causis febrium acutarum & ardentium ita commentatur: „Omnia igitur, quæ sanguinem exæstuant, & vberi particularum sulphurearum, in sanguine proventui favent, liberum quoque eisdem per minima partium vascula transitum retardant atque impediunt, ad generationem febrium ardentium faciunt. Hinc est, quod iisdem præ reliquis imprimis pateant, qui biliosa constitutionis, strictioris habitus, potibus spirituosos indulgent, crebrius animo, præsertim ad iram moventur, corpusque vehementiori motu exagitant.“ *z. r. 7.*

## §. XXIV.

*Morbi comitiales causæ specialiores inveniuntur.*

Quanquam in determinandis *epilepsie* causis multum inter se dissentiant artis salutaris interpretes, alii enim ad venenum aliquod narcoticum seu stupefacivum, alii ad fermentum specificum, alii ad materiam acrem nervos irritantem, alii ad violentam spirituum animalium vim explosivam in fibris muscularibus & nerveis existentem, alii ad furorem archei, alii ad colluviem feri vitiosi poros cerebri vel obstructuentem, vel æqualem fluidi nervei in partes influxum remorantem, alii ad *Desion II.*, alii ad alias causas confugiunt; in eo tamen omnes facile conveniunt, partim *hereditariam dispositionem*, partim *nimiam sanguinis abundantiam* eiusque *extravasationem*, partim *vehementiora animi pathemata*, iram præsertim, terrorem, vesanum amorem, & quæ sunt reliqua, inter præ-

præcipuas morbi comitialis causas internas esse referendas; de *hereditaria* quidem *dispositione* ita iudicat HOFFMANNVS, loco sæpius citato *Tom. IV. part. III. Sect. I. cap. I. §. VI.* „Neque est vllus morbus magis „gentilitius, & qui tam facile a parentibus in liberos „devolvitur, quam epilepsia, cuius fundamentum in „partium nervosarum & membranacearum textura „nimis sensibili, & ad motus anomalos suscipiendos „admodum apta, hæreditario iure ad infantes propa- „gata, collocandum est.„ De *sanguine crasso & co- „pioso*, inra sinus duræ matris stagnante §. XI. de *ani- mi autem affectibus* §. XV. sequentem in modum dis- ferit VIR celeberrimus: „Porro inter *causas idiopa- „thica* epilepsiæ animi affectus, maxime ira ac terror, „haud vltimam sibi vindicant locum: hi enim pro- „xime & immediate in nervos corporis partes & „membranas, eas vel fortius confringendo, vel plus „iusto dilatando agunt, & in vniuersa corporis ma- „china moruum œconomiam invertunt, addit §. XIX. „Ceterum immoderatio & intempestivis primis in „annis celebratæ veneris vsus, diuturnior quoque tri- „stitia, intemperantia in studiis, feriisque mentem fa- „tigantibus cogitationibus, ob summam debilitatem, „quam generi nervoso inferunt, ad hoc malum miri- „fice disponunt.„ Ex quibus omnibus, de *specialiori- bus epilepsiæ causis in iuvenibus*, quilibet facile iudicare poterit.

## §. XXV.

Inter morbos *etati iuvenili* maxime familiares, *Dolorum*  
E *dolo-rheumatico-*

*arthritico-  
rum, Scor-  
dis palpi-  
tationis cause.*

*dolores rheumatico-arthriticos*, vna cum *cordis palpi-  
tatione*, præter istos ab HIPPOCRATE hoc loco ad-  
latos §. XVIII. merito retulimus. Quamvis autem  
*dolor rheumaticus* ab *arthritico* in eo quidem *differat*,  
quod in *rheumatismo* magis sit tensivus, pressorius,  
gravativus, cum frigore iunctus, sine conspicuo tu-  
more ac rubore, in *arthritide* vero lancinatorius, di-  
vulsorius, pungitivus & quasi rupturam minans, cum  
insigni tumore atque rubore percipiatur; tamen cum  
omnis permolestæ sensationis causa sit humor sive  
copia sive intemperie peccans, intra vasa minima  
tunicarum & membranarum nervosarum stagnans  
atque congestus, qui violentia quadam eas disten-  
dit, vellicat, divellit, arrodit; eandem esse *rheumati-  
co-arthriticorum dolorum causam*, facile intelligitur,  
a quacunque etiam causa sive interna sive externa,  
liber humorum transitus impediatur. Ad *causas* ve-  
ro *cordis palpitacionis* quod attinet, præter vehemen-  
tiores animi commotiones, ipsa sanguinis abundantia  
in iuvenibus hic maxime in censum venit. Testem  
huius rei iterum allegamus, quem sæpius iam lau-  
davimus, *Celeberr. FRIDERICVM HOFFMAN-  
NVM*, qui *l. c. Sect. II. Cap. I. §. XI.* ita commen-  
tatur: „Frequens porro morbi nostri causa in ipso  
»partium fluidarum vicio est quærenda, & primum  
»quidem nititur earundem insigniori ac vires solido-  
»rum superante mole; quando enim humores nimia  
»peccant abundantia, non fieri potest aliter, quam  
»ut tam vasa, quibus continentur, quam præsertim  
»cordis

„cordis thalamos, accedente nimirum vel fortiori eo-  
 „rundem commotione, vel maiori ad superiora, ob  
 „spasmos inferiorum, raptu prægrandi, ac modum  
 „naturalem excedente copia irruant, illos vehemen-  
 „ter distendant, relaxent, atque tum ad contractionem  
 „palpatoriam proritent. Hoc vitii genus a tali  
 „caussa inductum in *iuvenibus* potissimum locum ha-  
 „bet *sanguineis*, qui pueruli largum e naribus fundere  
 „sueverunt cruorem, & his hæmorrhagiis cessantibus,  
 „pectoris compressiones atque molestias sentiunt. z. r. d.

## §. XXVI.

*Tertium iam superest nostræ dissertationis me- Morborum  
 brum, quo iuxta duplicem illam indicationem, præser- iuveniliū  
 vatoriam & curatoriam, de consiliis, auxiliis remediis- Præservatio.  
 que breviter hoc loco nobis dispiciendum erit,  
 quibus partim præcaveri, partim vero mitigari &  
 quantum per naturæ artisque vires fieri potest, peni-  
 tus extirpari possint affectus isti iuvenum præternatu-  
 rales, de quorum natura & causis pro instituti nostri  
 ratione satis superque adhuc diximus. Quemadmo-  
 dum vero superabundans sanguinis moles in iuveni-  
 bus, a variis causis tam internis quam externis vehe-  
 menter commota, quo diætæ in sensu latiori sumtæ  
 errores potissimum pertinent, ex consensu Medico-  
 rum omnium, principem facit morborum iuveniliū  
 causam; ita affectus iuvenum præternaturales gene-  
 ratim quidem non melius præcaveri poterunt, quam  
 si iuvenes a puerili statim ætate, recto & legitimo re-*

rum non-naturalium usu, partim nimiae sanguinis abundantiae, partim vero vehementiori humorum commotioni obicem prudenter ponere discant. Cumque ex rebus ita dictis non-naturalibus, praeter moderatum assumptorum, esculentorum praesertim valde nutrientium, usum, ad plethoram ipsam coercendam, sanguinisque spissitudinem pariter ac cacochymiam avertendam, nihil magis valeat, quam motus corporis voluntarius, placidus quidem, ast per duas vel tres horas singulis diebus continuandus; nulla sane regula diætica iuvenibus magis commendanda erit, quam ut otium, tam physicum quam morale, cane & angue peius fugiant. Conf. FRID. HOFFMANNI *diff. de motu optima corporis medicina.*

## §. XXVII.

Curatio generalior.

Prolixum nimis foret, si de medendi methodo specialiori, singulis istis iuvenum morbis conveniente, hic seorsim differere vellemus, quia hæc regula universalis valet de omnibus: *sublata causa primaria sive externa sive interna, vel medicamentis vel instrumentis, tollitur etiam effectus.* Quare generaliora modo ex triplici artis salutaris fonte, diætico, chirurgico & pharmaceutico, breuiter hoc loco indicabimus. Ad fontem diæticum quod attinet, praeter motum & potum sufficientem, neutiquam vero excedentem, iuvenibus ad se- & excretionem eo melius promovendas adeo necessarium, debita animi moderatio utramque fere facit paginam, quamvis & debita corporis quies cum abstinentia coniuncta,

iuncta, in sanandis morbis acutis, multum omnino valeat. Ex fonte chirurgico ad plethoram imminuendam, & sanguinis æquilibrium restituendum, iuvenibus, tam præservandi quam curandi scopo, nihil salutarius inveniri potest, quam larga venæsectio, debito tempore & loco prudenter instituta, sæpiusque repetita, iis præsertim, qui in ætate puerili narium hæmorrhagias frequenter sunt experti. Non minus quoque ad eundem finem impetrandum, per sæpe in balneis magna est vis collocata, cum quibusdam herbis carminativis mixtis. Pro variis morborum & ægrotantium circumstantiis nonnunquam etiam variorum chirurgicarum operationes sunt administrandæ, e. g. in capite trepanatio, elevatio cranii: in thorace paracentesis. Fons autem pharmaceuticus, prouti generatim quatuor nobis suppeditat medicamentorum genera, alterantia nempe, evacuantia, roborantia & sedantia. Ita ex alterantibus

- 1) *diluentia cum resolventibus*, e. g. decocta pectoralia, salia neutra, extracta gummosa vel gummeo-resinosa, & medicamenta saponacea;
- 2) *absorbentia*, qualia sunt ostracodermata omnia, mater perlarum, cornu cervi vitum;
- 3) *temperantia*, ubi pertinent nitrosa, acidula, acidodulcia, cum demulcentibus, gelatinosis & blandis nutrientibus v. g. decoct. C. C. cum rad. scorzon. decoct. avenaceum, ptisana, vitellus ovorum, oleum amygd. dulc. iuscula carniumpingua & emulsiones; ex evacuantibus diaphoretica,

*tica, diuretica* e.g. Ess. alexiph. STAHL. Mixtura simplex, Tinct. antimon. tartarif. ess. succ. myrrh. nec non *blande laxantia*, vel in infuso ex fol. fenn. tamarin. cum crem. tartari, vel in pilulis ex resin. ialapp. extract. helleb. nig. syr. pass. laxat. & ol. amygd. dulc. paratis, vel in essent. catharct. ex roborantibus autem temperata *balsamica* atque *visceralia*, inter quæ eminent elixir viscerale HOFFMANNI, nec non ess. cort. aurant. immatur. cascarill. ol. terebinth. bals. Peruv. denique leniter *anodyna*, prudenti ratione adhibita, in sanandis iuvenum affectibus præternaturalibus, exoptatissimum sæpe adferunt solamen.

T A N T V M.





VIRO NOBILISSIMO CLARISSIMO  
GODOFREDO BERNHARDO  
THIESEN

CANDIDATO LONGE DIGNISSIMO

S. D. P.

PRAESES.

**E**xponenti TIBI ac eleganter sane recensenti morbos, iuvenibus ut plurimum familiares, facere aliter non potui, CANDIDATE doctissime, quin publice significarem, quantopere mihi placuerit ipsum hocce argumentum, quippe quod cum vitae Tuae conditioni, tum vero plerisque omnibus civibus academicis multo sit accommodatissimum. Probe, ut opinor, animadvertisti scopulos adversae valetudinis in iuventute sedulo devitandos, quum de iuvenum infirmitatibus, ipse iuvenis integra perfruens sanitate, eruditam scripseris dissertationem. Sicuti igitur hanc rem impense laetor, ita etiam studia academica feliciter absoluta ex animo iterum iterumque gratulor. Faxit summi rerum arbitri clementia, ut honores privilegiaque, quibus TE prope diem instructum videbimus ornatumque, scopo ipsis praefixo quam maxime respondeant, id est, ut Tua opera, Tua assiduitate misella egrotorum catervae mirum aliquando in modum consulatur. Ita vero fiet CANDIDATE doctissime; divino enim numine adspirante, praevaleante, iuvante, non iuvenum tantum, sed cuiusvis etiam aetatis morbos felicissime curaturum Te esse omniumque bonorum fore possessorem, laeta mente auguror ac praevideo. Vale & faue. Dabam in Salana nostra, die XIII.

Calend. Decembris c1o 1o CC XXXVI.

Betritt, geschätzter Freund, des Ehren-Tempels  
Stufen,  
In dessen Vorhof Dich Dein Fleiß vorlängst geführt,  
Da Dich Hygäens Wind zu ihrem Stuhl geruffen,  
Und mit bemühter Hand die muntre Scheitel ziert.  
Der Lorbeer müsse stets um Deine Schläffe grünen,  
Und für der Stürmer Macht beständig sicher seyn,  
Dein neuer Wohlstand auch zum reichsten Seegen  
dienen,  
So stimmt der Erfolg mit meinem Wünschen ein.

Dieses setze dem Herrn Doctorando seinem werth-  
geschätzten Freund glückwünschend bey

Dessen

Halle, den      Novembr.  
1746.

ergebener Diener

Carl Ludwig Meckelburg,  
Med. Doct.



Ma 4713

ULB Halle


3

003 901 068



80





Q. F. F. Q. S.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# MORBIS JUVENVM

QVAM  
ASSISTENTE NVMINIS DIVINI GRATIA  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE GRATIOSAE  
FACVLTATIS MEDICAE  
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
**DN. JOANNE JVNCKERO**  
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMOQVE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO ORPHANOTROPHEI HALENSIS  
ET PAEDAGOGII REGII PRACTICO FELICISSIMO  
H. T. DECANO SPECTATISSIMO

## PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.  
AD D. NOVEMBR. A. N. C. MDCCXLVI.  
PVBLICO PLACIDOQVE ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

AVCTOR  
**GODOFREDVS BERNHARDVS THIESEN**  
RASTENBYRGO · BORVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

